


05

A

290





DISPUTATIO THEOLOGICA

QUAM

D. O. M. A.

DE

JUSTIFICATIO
TIONE HOMINIS,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

PLURIMUM REVERENDI AMPLISSIMI ET
EXCELLENTISSIMI

DN. JOHANNIS SCHARFII,
SACROSANCTÆ THEOLOGIÆ DOCTO-
RIS ET PROFESSORIS PRIMARI, COLLEGII THEOLOGICI
SENIORIS, ET TEMPLI CATHEDRALIS PRÆPOSITI
MERITISSIMI, PRÆCEPTORIS AC HOSPITIS
MAXIME VENERANDI

Publicæ disquisitioni subjicit

JOHANNES DIETERICIUS
HAFNIA DANUS, AUTHOR ET RE-
SPONDENS

IN AUDITORIO MAJORI, HORIS MATUTINIS
Die Januarii Anno M DC LIII.

WITTEBERGÆ

TYPIS MICHAELIS WENDT. ANNO M. DC. LIII.

10





05 A 290

J. N. D. N. J. C.



Vam necessarium sit, ut Articulus de Justificatione rectè intelligatur, præclare docet Megalander Lutherus b. m. in præf. in Epist. ad Gal. *Opus est (inquit) hunc articulum diligentissime tractare, & Satanae opponere, sive simus infantes, sive eloquentes, sive docti sive indocti, oportet enim hanc petram clamari, si omnis homo taceret, ab ipsis petris seu, lapidibus, &c.* Cæterùm quantam utilitatem vera ejus cognitio adferat, tantam etiam ut rectè intelligatur parit difficultatem, præsertim cùm mirum in modum ab adversariis oppugnetur, ita ut Satanas, qui efficax est, in filiis incredulitatis, tanto eos percussit scotomate, ut fermè hunc articulum, (quo tamen destructo, tota simul doctrina Christiana destruitur) è numero articulo- rum fidei removisse videantur, & exulare quasi jubeant: eò quod verum hujus articuli sensum impugnando, gratuitam remissionem peccatorum tollant, Christum pro peccatis satisfacisse inficientur, nec non Spiritum Sanctum mendacii arguant. Ut igitur veritatem hujus articuli, eruamus, ipsum DEUM, verum veritatis veræ fontem rogamus, velit cordibus nostris Spiritum veritatis immittere, qui in omnem nos ducat veritatem.

THESIS I.

Sicuti omnis de aliquà re institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit, de quo disputetur: ita non abs re fore censemus, si prius de etymologia, & homonymia vocabulorum, quæ huc potissimum pertinent, nonnulla evolvamur. nam *πᾶν τὸ πολλαχῶς λεγόμενον ἄσφες.*

II. Et vox quidem *Justitia*, quæ Latinis sic dicitur, Græcis est *δικαιοσύνη* à *δίκαιον*, quod dici existimant Grammatici nonnulli, quia *δίχα* ἔστι id est duatim (ut sic de dicamus) & divisim fiat, tanquam dicamus *δίχαιον* hoc est bifariam divisum vel divi-
dens

dens, veluti quod totum aliquod dividat in partes æquales; Alii
δὲ δύο ἔχεν, quod duas partes secernat duas. Vid. Lexicon
Longol. In Lingua sancta appellatur $\eta\pi\gamma\zeta$ à radice $\pi\gamma\zeta$.

III. Observes autem, quod etsi sacri & prophani Authores
hæc voce utuntur, utrinque tamen non eandem, sed diversam
prorsus significationem obtineant, Nam apud Aristotelem signi-
ficat habitum quendam in hærentem; at verò in sacris literis ab
Apostolo usurpatur non tantum pro qualitate in hærente, sed vel
maximè pro imputatione justitiæ alienæ extrinsecus adve-
nientis.

IV. Sed ut brevitati studeatur significationes hujus vocabuli,
Justitia, cum apud alios passim inveniantur nō recensebimus. No-
tandum tamē, quod *justitia tum Deo, tum Christo, tum hominibus* tri-
buatur. *DEO* cum tribuitur, significat vel essentialē *DEI* perfectio-
nem, vel divinā vindictam vel veritatē & in promissis servandis
constantiam; sæpè etiam justitiā *DEI* notantur mandata & præce-
pta *DEI*, beneficia *DEI*, bonitas & misericordia ipsius &c. ut pro-
lixè docent, Dn. D. Meisner. in Anthropol. sac. Disp. XXIV. Chri-
stianus Mathiæ. Syst. Theol. Art. de Justific.

V. *Christo Justitia* attributa, notat I. essentialē ipsius Justi-
tiam, quæ ipsi ut vero *DEO* & in æternū super omnia benedictio-
competit. II. Ipsius innocentiam & sanctitatem, quod omnis la-
bis & peccati expers fuerit, 1. Pet. III, 18. I. Joh. II, 1. & 29. & III,
7. Actor. III, 14. & VII, 52. hinc dicitur *Rex justus*. Zachar. IX, 9.
Servus DEI justus. Esa. LIII, 11. *germen justum*. Jerem. XXIII, 5.
III. Ipsius obedientiam in impletione legis & justitiæ acquisi-
tione consistentem, unde dicitur *finis legis ad justitiam omni cre-
dentis* Roman. X, 4. & vocatur *justitia nostra* Jerem. XXIII, 6. &
XXXIII, 6.

VI. *De hominibus Justitia* usurpata significat. I. (Ut nihil de
Justitiā concreatā & originali dicam) conformitatem cum lege
Luc. I, 75. Ephes. IV, 24. & V, 9. 2. Vitam sanctam. Ephes. VI, 14.
3. Opera bona in genere Actor. X, 35. Genes. XVIII, 19. Psalm.
CVI, 3. Esa. LV, 1. & LVIII, 2. 4. Justitiam distributivam, præ-
mia & pœnas justo modo distribuentem. Deut. I, 16. Psalm. IX.

4. 8. & XLV. 9. 5. Innocentiam & justam causam 1. Sam. XXVI. 23. Esa. V. 23. Dan. VI. 22. & alibi, & hæc dicitur justitia facti vel causæ, quæ probè distinguenda est à Justitiâ personæ. Etenim non rarò contingit, ut persona injusta bonam & justam habeat causam. 6. Beneficentiam vel in pauperes eleemosynæ erogationem, nam vox Ebræa etiam significat Eleemosynam, quod nempe justum sit & verum justitiæ Symbolum pauperibus succurrere annotante Buxtorfio in Lex. Heb. p. m. 638. & Pagnino p. 314. 7. Mercedem vel præmium Esa. LIV. ult. Ultimò significat justitiam Evangelicam, quæ justitia fidei nuncupatur. Et hæc illa est, cujus hoc loco tractatio instituenda erit.

VII. Verbum *justificare*, num apud vetustiores Latinos aucthores legatur, & quo sensu in Latio usurpatur, scrutari nunc nihil attinet, sufficit hic præoccupasse, quod in sacris literis variis in locis occurrat, variæq; ejus vocis enumerentur significatio- nes, quæ commodè ad sex sequentes reduci possunt.

VIII. Et primò justificare significat quidem, Personam judi- cis gerere, & controversiam, quæ in judicium venit, decidere. Quo sensu invenitur II. Sam. XV. v. 4. *Ultinam* (inquit Absolon) *me quis judicem constitueret, & ad me veniret, cuicumque lis est & causa & ego justificarem eum*, quo in loco ipsa radix קרע occurrit, di- cit namq; Absolon וְהַצַּדִּיק הוּא.

IX. Deinde notat Justitiam alicujus agnoscere & laudibus efferre; in hunc sensum loquitur David Psalm. LI. 6. *Ut justifi- ceris in sermonibus tuis*: similiter Luc. VII. 29. *Populus & publicani & ducuntur justificarunt DEUM baptizati baptismo Jobannis*; uti & Matth. XII. 37. Jacob. II. 21.

X. Tertiò denotat vel seipsum, vel alium in vetò DEI timo- re erudiendo ad justitiam promovere, in quem sensum loquitur Spiritus Sanctus Dan. XII. 3. *Erudientes splendebunt, quasi splendo- re expansi, & justificantes, id est, instituentes, informantes, volun- tatem DEI in verbo revelatam prædicantes, ut stelle in sempiterna secula.* Quem locum pro gratiæ, & justitiæ infusione imprimis urgent Pontificii, & in illo errorem, quem fovent, optimè stabiliri posse existimant; sed conatu frustraneo & planè irritò, nam quo-

modo quaeso, qui aliquem de justitiâ erudit, huic justitiam infundere dicatur? Cujus dicti uberiores explicationem invenies apud Rev. Dn. D. Balthas. Meisnerum Anthropol. sac. disput. XXIV. q. III. thes. 24. quem sensum etiam obtinet Apoc. XXII. 11. *Qui justus est justificetur adhuc.*

XI. Porro Justificare est justitiam sibi arrogare, vel famam justitiæ aucupari. Hoc sensu usurpatur à Servatore CHRISTO. Luc. XVI. 15. *Vos (Pharisæos alloquitur) ii estis, qui justificatis vos ipsos in hominum conspectu.* Luc. X. 29. Quintò idem valet, quod liberare, Rom. VI. 7. *Qui mortuus est, justificatus est, id est liberatus à peccato.* Deniq; sextò & ultimò, propriissime significat reum in judicium vocatum, criminis, quod palam profitetur, absolvere, absolutum pro justo & insonde æstimare, & præmia bonis & justis aliàs solita tribui, decernere: Quæ ultima vocis acceptio, & quidem forensis, in articulo de Justificatione hominis locum habet.

XII. Ut enim in foro, sic & in sacris literis justificatio per processum judicalem describitur. Debitum namq; est peccatum, quod tanto nos ære obstrixit, ut nunquam persolvere valeamus. Matth. XVIII. 24. Reus qui in judicium adducitur est homo multitudine peccatorum oppressus. Accusator vel actor, qui nos criminis commissi arguit, cum lex, tum conscientia, quæ quoq; vicem testis supplet Rom. II. 15. Cap. VII. 7. Advocatus JESUS CHRISTUS I. Joh. II. 1. Rom. VIII. 38. Justificari igitur heic significat idem, quod, coram DEO justum censi remissis peccatis. Observes tamen quod in disput. Jacobi II. alia sit hujus vocabuli significatio, significans ex effectibus justitiæ, id est ex operibus bonis justum declarari coram hominibus. Hoc quippe sensu Jacobus asserit hominem justificari ex operibus, ne utique verò contradicit Paulo. Etenim, cum Paulus neget hominem ex operibus justificari, intellectum vult coram DEO nullam carnem justam censi, cum autem Jacobus affirmet *hominem ex operibus justificari*, hæc est ipsius mens, non quod homo in conspectu DEI, (quod in animum nunquam induxit) operibus justificetur, sed quod homo penes DEUM, fide solâ meritum Christi sibi

sibi applicante & appropriante justificatus, postea ex fructibus, bonis operibus justitiam subsequenter justificetur, id est justus declaretur coram hominibus, quam D. Jacobi mentem ipse contextus evidentissimè ad oculum demonstrat. Quæ enim verba sequuntur sic habent: *Ostende mihi fidem tuam ex factis tuis, & ego ostendam tibi fidem meam ex factis meis.* Conferatur B. Brochmannus in eruditissimo Commentario super Epist. Jacobi, Cap. 2.

XIII. Cæterum in vocis etymologiâ magnopere sibi gratulantur Pontificii. Asserunt enim imò fervide contendunt, justificare, vel justum facere, vivocis significare habitum justitiæ infundere. Verum enim verò, quomodo Papistæ contra Criticos hanc suam interpretationem defendere velint, ipsi viderint. Nam si *ἐτιυον* vocis considerare placeat, non video quomodo ipsorum assertioni faveat: neq; enim id, quod illi intendunt, inde confici aut dici potest. Necessum non est ut, ut aliquis justificetur, huic habitus justitiæ infundatur, ne dicam, quod à notatione non ducantur firma argumenta. Qualis enim quæso consequentia? Sanctificamus, glorificamus, magnificamus DEUM. Ergo ex profano sanctum, ex obscuro & inglorio gloriosum, ex parvo magnum DEUM facimus. Absurdum! Non ex Etymologiâ vocis, sed ex usu Spiritus Sancti de sensu vocis ferendum est judicium. In Veteri Testamento, Sacerdotes, leprâ liberatos sanctificare dicebantur, non sanctos faciendo, nec sanctitatem, infundendo, sed sanctos, mundos, & tales, qui in consortium reliquorum admitti possent, pronuntiando. Sic & hoc loco *justificare* nihil aliud est, quàm aliquem à culpa & pœnâ liberare, & *coram DEO justificari*, est absolvi à culpa peccatis, delictis, quibus DEUM tanquam Patrem optimum offendimus, & à pœnâ, quam culpâ meriti sumus, sc: irâ DEI morte spirituali & æternâ liberos pronuntiari, pronuntiatos pro justis & infontibus censeri & æstimari.

XIV. Cæterum nullo modo significat, ut falsissimè contendunt Pontificii, habitum quendam infundere, ac si DEUS nos ob qualitatem quendam nobis in hærentem, & ad hærentem justificet, ut decernit Concil. Trident. sess. VI. Canon. XI. Quam suam
sen.

sententiam ut confirmet, varia quidem scripturæ loca adducunt, sed in universum nihil probant. Nam quæ è vulgatâ, ipsi authenticâ, versione afferunt, si ad fontis examen ea vocentur, alias omninò significationes admittunt. Et si vel maximè, in quibusdam scripturæ locis verbum justificare significationem, quæ ipsi arridet, obtineret, non tamen exinde sequeretur, eandem admittendam, esse interpretationem in illis locis, in quibus potissima justificationis sedes habetur. Hoc caput causæ est, quod quum nec dum probârint Pontificii, contenti sint necesse est Sp. S. propriâ interpretatione, & ab orthodoxis hæctenus usurpatâ, quippe, fidei analogâ & ex omni parte conformi.

XV. Hæctenus de Etymologiâ & Amphibologiâ, proximum jam est, ut definitionem subjungamus, & quidem brevissimam. *Est igitur Justificatio hominis peccatoris sed in Christum, vere credentis, ex merâ gratiâ propter meritum Christi, coram DEO ab omnibus peccatis & peccatorum pœnis liberatio, in DEI gloriam & hominis salutem. Quæ definitio causam efficientem, materialem, meritoriam instrumentalem, formalem & finalem complectitur.*

XVI. A causa efficiendi ut ordiamur, est ea gratia DEI, de cuius vocabuli origine nulli litem movebimus, sive ut censuit Bellarminus, nomen acceperit gratia, quod gratis detur, sive à grato derivetur, quæ tamen vocis derivatio magis accommodata videatur, saltem quid voce gratiæ Spiritus DEI denotet indagabimus. Per gratiam hæc non juxta deliramenta Pontificiorum intelligitur gratia infusa, & tres virtutes Theologicae, Fides, Spes & Charitas, ut docet Costerus in Enchirid. p. 229. 230. c. VI. sed per gratiam, quâ nobis gratis justificatio contingit, intelligitur mera immensa misericordia DEI, & gratuitus favor, quò nobis citra ullum ad ulla opera nedum merita respectum, peccata remittit, justitiam Christi imputat, & in gratiam quâ per peccatum excideramus acceptat.

XVII. Verum enim verò quod per gratiam, quâ Deus gratis nos justificat, non possit intelligi aliquid nobis inhærens, probat Paulus Rom. III. 74. *Justificamur gratis ex gratiâ DEI, &c. quæ est benignitas amor & misericordia DEI, Tit. III, 4. 5. πλοῦτ' & τῆς χάριτος, & misericordia abundans Ephes. II. 7. 8. sicuti ea gratia*

cia

tia describitur II. Timoth. I, 9. *Salvos nos fecit, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, qua data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia.* In hoc loco gratia nequaquam denotare potest in hærentem, vel infusam quandam qualitatem. Nam hæc gratia data fuit nobis, cum nondum essemus, ante tempora secularia, ante ullum tempus, ante jacta mundi fundamenta, ab æterno.

XIIX Hæc DEI gratia & benivolentia, quâ justificamur, illustratur vocibus *gratis, sine operibus*, ad excludendum ab hæc Justificatione omnes nostras qualitates, omnes affectiones, omnia deniq; opera, & unicè DEI bonitati & gratuito favori nostram justificationem adscribendam. Pro hæc sententia stabiliendâ, unum saltem sed sufficiens adducimus argumentum. Quicumq; justificantur gratis, ex merâ gratiâ, nō justificantur virtutibus vel operibus. Sed omnes qui justificantur, gratis justificantur. Ergo non operibus vel virtutibus suis justificantur. Major ob summam harum propositionum contrarietatem est vera, justificari gratis vel gratiâ, & justificari ex operibus; nam uno (scilicet gratiâ) posito, alterum (nimirum opera) tolluntur, & positis operibus gratia excluditur. Quam majorem propositionem ipse Spiritus DEI probat Rom. XI. 6. *Si ex gratia non ex operibus, alioquin gratia non est gratia, & si ex operibus, non ex gratia, alioquin opus non est opus.* Et gratia non est gratia ullo modo, si non est gratia omnimodo, dicit Sanctus Augustinus. Minorem variis scripturæ locis probare possumus, ut Roman. III. 24. Rom. IV. 16. Actor. XV, 10. Galat. II, 16. Ephes. I, 5. 6. 7. Tit. III, 7. Rom. V. 15. 16. 21. in quo capite longè optimè Paulus Pontificiorum sententiam, de meritis operum confutat, dicens. *Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, id est omnes, (nam per peccatum mors ad omnes homines pertransiit) ita per unius obedientiam, Ἐξ ἑνὸς ἁνομήσ τοῦ ἑνός, non multorum, justi constituentur multi.* Plures probationes vide apud Rever. Dn. D. Meisner. Anthropol. sac. decad. 2. Disput. XII. q. II.

XIX. Hominis gratuita justificationis causa meritoria est *Jesus Christus*, filius DEI unicus à Patre ab æterno genitus, & in tempore à muliere natus. Hæc ergo gratia in *Christo* nobis tantum

B

offer-

offertur. Quam sententiam ut certissimam & verissimam, ita paucissimis testimoniis ex sacris literis evincemus. Rom. III, 24. 25. *Justificamur gratis ex eius gratia, per redemptionem factam in JESU CHRISTO.* 1. Cor. I. 30. 1. Cor. VI. 20. Act. X. 43. c. XIII, 38. 39. confer. 1. Tim. II, 5. 6. *Unus est mediator DEI & hominum homo JESUS CHRISTUS, qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus.* 1. Pet. I, 18. 19. *Non corruptilibus auro vel argento redempti estis de vanâ vestra conversatione, sed pretioso sanguine agni immaculati Christi.* Apoc. V. 9.

XX. Quanta hujus meriti necessitas fuerit satis constat: notum namq; est, ex cap. III. Genes. quomodo DEUS primis parentibus ad imaginem & similitudinem suam creatis, & in Paradyso collocatis legem impleto possibilem promulgavit. De arbore scientiæ boni & mali non comedes, nam in die, quo comederis ex eâ morte morieris. Jam verò certo certius est primos parentes ex desiderio infelici scientiæ scientiam DEI æquiparantis, & instinctu Diaboli, homicidæ primævi, legem latam violasse, & propterea pœnam legis transgressioni adjunctam incurrisse. Ne igitur justitiæ DEI quid decederet, nisi totum genus humanum, quod misericordia ipsius nequaquam tolerare potuit, æternum periret, quod Justitia exigebat, satisfactione opus erat, sine quâ homo in gratiam cum DEO nequaquam redire potuit. Nam DEUS est quidem misericors, sed ut simul sit justus, & justus est, ut simul etiam sit misericors Syrac. V. 6. 7. Vnde est regula Theologorum. *Ita est DEI misericordia adstruenda, ne ejus labefactetur Justitia, & ita justitia, ne destruat misericordia.*

XXI. Sic ergo, ut tam misericordiæ DEI, quàm ipsius admirandæ justitiæ locus relinqueretur, voluit DEUS, quæ ipsius fuit gratia & misericordia, filium suum in mundum mittere, qui, quod justitia postulavit, homines à peccato, morte, Diabolo & inferno ereptos in libertatem vindicaret, & pro eorum peccatis & peccatorum pœnis morte sua acerbissimâ ac ignominiosissimâ satisfaceret, & chirographo inter DEUM & homines lituram indueretur.

XXII. Huic sententiæ longè verissimæ sese opppnant Sociniani

ciniani, quippe qui contendunt *DEum non per motum ullâ filii satisfactione tanquam causâ meritoria, sed è mera gratia, exclusâ omnî penitus satisfactione nos justificare.* Quam Socinianorum sententiam, quod nimirum *Deus nobis ignoscere potuerit, nulla pro peccatis satisfactione acceptâ, ut manifestissimâ convincamus falsitatis, rationes in primis sequentes urgemus.*

XXIII. Primò evertit veritatem divinæ comminationis *Deus enim juramento affirmaverat, quod si primi parentes legem violarent & contra mandatum divinum, fructu arboris vitæ vescerentur, moriendo morituri sint: מוֹתוּ מוֹת* habetur in linguâ sanctâ quæ binæ voces vastissimum in se mortis oceanum continent. Nomine enim *mortis* veniunt omnes calamitates, ærumnæ, afflictiones, pressuræ, quibus homo in vitâ exponitur, urgetur, affligitur & premitur. Quæ mors si sola esset stipendium peccati, non usque adeò malè, (quamvis malum per se satis sit) cum homine ageretur, si non etiam *huic corporali morti* adjuncta fuisset *spiritualis*, quâ homo mortuus peccatis, privatus est imagine divina, ad quam conditus erat; & æterna, quâ homo in æternum, non morietur sed vivet in inferno cum damnatis spiritibus cruciandus; dicitur namq; mors æterna, quia vita quam impii in altero seculo degent, morte ipsâ ærumnosior est, optabunt *mori, sed mors fugiet ab illis* Apoc. IX 6. Imò *mortis nomine, non tantum primæ mortis pars prior intelligitur, ubi anima privatur DEO, nec tantum posterior, ubi corpus privatur anima, nec solum ipsa tota prima, ubi anima, & à DEO, & à corpore separata punitur, sed quicquid mortis est, usque ad novissimam, quæ secunda mors dicitur, & quæ est nulla posterior.* Augustinus l 13. de C. D. c. 12.

XXIV. Hæc fuit lex justa, impletu possibilis à Deo data; hanc prævaricati sunt Adam & Eva, justo igitur Dei judicio poenam luere debuerunt. Quocirca Deus salvâ suâ justitiâ & veritate, non intercedente satisfactione condonare peccata nequam potuit. Audiatur Moses Exod. XXXIV. 6. 7. *Jehovah nullo pacto absolvit fontem, visitans iniquitatem patrum in filios.* Rom. III. 5. 6. Apoc. XVI. 5. 6. *Justus es Domine, qui es, qui eras, & qui eris.* Num. XXIII. 19. *DEus non est homo qui mentiatur, aut filius homi-*

nis, quem poeniteat. An ipse dixerit, & non faciet? an locutus fuerit, & non prestabit illud? Hinc Athanasius, Absurdum DEum in suis verbis mentiri, si (cum lege statuisset morte moriturum hominem, quodocunque mandatum prevaricaretur) mortem tamen post prevaricationem effugeret, nec verbis illis adstringeretur. Non enim verus DEUS fuisset, si (cum lege dixisset nos perituros) non periissemus.

XXV. Deinde stante hypothese Sociniana, lex Dei data aboletur, lex enim est signum voluntatis divinae, & hanc Dei voluntatem esse, quae lege exprimitur, omnino putandum est, quod nimirum obedientes amore, immorigeros & contumaces summo odio prosequatur. Ut enim inter signum & signatum vera est relatio, sic etiam lex divina & voluntas divina correlata sunt. Falsum certe signum est, nisi signatum verè exprimat, & signatum quod signo non exactè respondet, non signo signatum dicitur. Cum verò lex sit signum voluntatis divinae, omnino necesse est DEO etiam talis, qualem lex attribuit, voluntas adscribatur. Stante igitur & immotà manente lege Dei, quae voluntatem manifestat, justitia etiam firma manet. Quae est judiciaria & vindicatrix justitia, quae non obedientibus & noxiis poenam statuit, & probos & bonos praemiis afficit. Haec est voluntas Dei, haec est ipsius justitia, justitia enim à voluntate dissidere nequit, nisi quis statuere veller, DEum rigore legis & justitiae peccata punire velle, tamen ex absoluto quodam beneplacito eadem punire nolle. Quod quam absonum & ab omni pietate alienum sit, quivis facile intelligit. Certè contraria in eodem subjecto, secundum idem, eodem tempore, circa unam eandemq; rem esse simul non possunt. Qui verò hujusmodi voluntatem Deo tribuere non veretur, in castra Calvinianorum descendit, videatur Reverendus & Excell. Dn. Praeses in Exercit. Anticalvin. Exercit. Sextà.

XXVI. Præterea si Deus absq; satisfactione lapsum genus humanum in gratiam recepisset, omnes Patriarchæ, omnes Prophetae & omnes Sancti in V. T. unicam spem & fiduciam in Christum, sēmen mulieris caput serpentis contritutum, unicam salutis fundamentum frustra collocassent. Omnia sacrificia, omnes
typi,

tÿpi, omnes ceremoniæ, quæ tamen Christum venturum præfiguraverunt, omnia vaticinia, omnes prophetiæ, promissiones, visiones Veteris Testamenti frustraneæ forent.

XXVII. CHRISTUS denique, ut plures omittam probationes, frustrâ natus esset, in vanum legem pro nobis implevisset, frustrâ iram divinam placasset, frustrâ mortuus esset, & universa ipsius vitæ sanctitas, passio & mors acerbissima, resurrectio gloriosissima, ascensio, sessio ad dexteram Patris frustranea & inutilia forent, quod qui asserere ausit, ex *Diabolo est, qui est Pater mendacii, & in veritate non stetit. Job. VIII.* imò ipsi Spiritui sancto in os impudentissime contradicit.

XXVIII. Hæc de causâ meritoriâ. De Materiali ut multis agatur supervacaneum existimo, subjectum enim justificationis esse solos homines satis patescit. Nam explosa & solide confutata est Heterodoxorum opinio asserentium Christum etiam factum esse mediatorem Angelorum, ex unico & altero scripturæ loco; contra classicus locus extat Hebr. II. 16. *Non angelos sed semen Abrahæ assumpsit.* Item I. Tim. II, 5. *Vnus Mediator DEI & hominum, homo Jesus Christus.*

XXIX. Ad causam instrumentalem justificationis appropinquamus, pedemq; promovemus. Eam autem fidem esse, & quidem solam, ex sacris literis variis locis clarè evincitur. Tria præcipuè hoc loco notentur. *Primum est, quod fides eaq; sola justificet. Alterum cur in hoc articulo particule exclusivæ tanto fervore urgeantur. Tertium, quâ ratione fides dicatur nos justificare.*

XXX. Antequam verò primum membrum, nimirum, *quod sola fides justificet*, enodemus, præoccupandum omninò est, quod *fides justificans*, vel *quâ justificamur*, non sit *historica tantum notitia & nudus assensus*, quo in genere credimus vera esse, quæ Deus in verbo suo nobis detexit, sine quodam assensu, & cordis fiduciâ, sed specialis applicatio gratiæ Dei in Christo nobis exhibitæ, quâ unusquisque certò in corde suo sibi merita Christi appropriare, & applicare potest.

XXXI. Id quod primò inclarescit *ex naturâ promissionum divinarum*, quæ immotæ sunt & firmissimæ. Nam si Deus in ver-

bo suo gratiam nobis in Christo ita proponit & offert, ut *firmi-*
ter credamus nos per filii ipsius meritum vitam aeternam habere,
 utiq; verbis Dei fides est adhibenda. Sed verum est prius. Ergo
 & posterius. Consequentia Majoris ut probetur, nulla efflagi-
 tat necessitas. Quis enim veritatem Dei, & in promissis servan-
 dis constantiam in dubium vocare ausit? Deus enim promissio-
 nes suas juramento confirmat, ut nulli quicumque demum fue-
 rit, de veritate & voluntate ipsius dubitandi ansa relinquatur. E-
 zech. XXXIII. sic loquitur DEUS. *Vivo ego, en juramentum, no-*
lo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, ecce promissio!
 Joh. III. 36. *Qui credit in filium habet vitam aeternam, qui autem*
incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum.
 Joh. VI. 47. *AMEN; AMEN dico vobis, qui CREDIT in me*
habet vitam aeternam. Hæc dicta non saltem propositionem ma-
 jorem, sed & minorem probant, quod fides Christiana non notitia
 & assensu absolvatur, sed ut vera & genuina sit, requiratur confi-
 dentia & immota cordis fiducia. Præterea *si testimonium hominis*
accipimus I. Joh. V. 9. 10. testimonium Dei majus est. Quoniam
hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de filio suo. Qui credit
in filium Dei habet testimonium in seipso. Qui non credit Deo menda-
cem facit eum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus
de filio suo. Et hoc est testimonium, quod vitam aeternam dedit nobis
Deus, & hæc vita est in filio ejus.

XXXII. Constat id ipsum ex proprietate fidei justificantis, tri-
 buitur enim fidei *πληροφωρία, ἰσότης, πεποίθησις*, quæ
 certè non dubiam animi suspensionem, sed certam fiduciam si-
 gnificat. Nam *credere & dubitare* pugnant, quod abundè pro-
 bat divus Jacobus c. I. 6. cum de utroque loquatur, *Postulet homo*
cum fide nihil ambigens, nam qui ambigit, similis est fluctui maris, qui
ventis agitur & jactatur, nec existimet talis homo, se quicquam ac-
cepturum à DEO. Quinimò fieri nequit, ut homo, ut præcipi-
 unt Pontificii, aliquo modo credat, aliquâ ex parte timeat. Hoc
 enim absurdum esse patet ex naturâ contrariorum, quæ in uno
 subjecto simul esse nequeunt. Quando igitur homo non dubi-
 tat, certò credat necesse est, contrâ quum ambigit, de gratiâ Dei,
 & re-

& remissione peccatorum certus dici nequit, ubi enim fides, ibi exulat omnis dubitatio, & viceversâ ubi dubitatio fides consistere non potest.

XXXIII. Hinc jubet Paulus II. Cor. XIII. 5. *Vos ipsos tentate, num sitis in fide?* Quod autem quis de verâ sua fide certus esse possit, & certò scire, num sit in fide, in seipsum descendens servabitur, num serio & fervido amore Jesum Christum prosequatur, hic enim si absit, nulla vera fides adest, hic namq; est basis fidei. Quibus se etiam Paulus & omnes fideles solatur. Rom. VIII. 35. 38. 39. *Quis nos separabit à dilectione Christi,* (quam antea magnopere exaggeraverat) *num afflictio? num angustia? &c.* πένεισμός, certò persuasus sum, quod neque mors, neq; vita, neq; ulla alia creatura poterit nos, (non saltem me, quasi de se solo loquatur Apostolus, ut somniant Pontificii, sed omnes nos credentes) *separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu.* Explorabit etiam homo, si de fide suâ certus esse velit, num proximum seriò diligit? ex sententiâ Pauli Gal. V. 1. num vitæ sanctimonix studeat? juxtâ monitum Christi Matth. V. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent Patrem qui est in celis.* Num denique doctrinam & fidem in Jesum Christum omni tempore confiteri, & si necessitas cogeret, pro hac ipsius fidei & sanæ doctrinæ professione vitam ponere, & se in quavis pericula conijcere paratus sit? 1. Pet. III. 15.

XXXIV. Constat id porrò ex invocatione DEI. Nam fidem nostram debere esse ἀκλίνην non yacillantem evincit egregiè doctrina de invocatione DEI, cum enim ad Deum preces fundimus, hanc sanè fiducia ad ipsum accedimus, ut certò credamus eum esse Patrem nostrum, & cum ipsius opem imploremus, velle nobis auxilio subvenire, precibus nostris locum relinquere, & omnia quæ ad vitam tam spiritualem quam corporalem necessaria sunt, subministrare. Hæc enim est nostra consolatio in adversis & ærumnis, quod indubitatò nonimus & credamus absq; ulla hæsitacione, quod sicut Pater miseretur filiorum, sic Dominus misereatur timentium se. Periculis igitur expositi, non cum dubitatione, sed cum certitudine ad Deum confugimus hanc

sps

Spe freti, quod velit promissis stare, & nos malis, quibus premi-
mur, eripere, hinc David Psalm. XXVII. 8. *Tibi dixit cor meum,
quarite faciem meam, tuam ergo faciem quero*, quod Lutherus b. m.
optimè reddidit. *Mein Herz hält dir für dein Wort/ ihr solt mein
Antlitz suchen/ darumb suche ich auch HERR dein Antlitz.* Quà
quæso ratione possimus orationem Dominicam precari, & o-
rare, *Pater noster*, nisi si nobis certò constiterit Deum esse Patrem
nostrum, nosq; ejus filios, ut hæc confidentiâ & fiducia firmati
non de exauditione precum dubitemus. Nam Deum Patrem
nostrum appellare, ipsi supplicare, ipsi dolorem nostrum narra-
re quomodo poterimus, nisi indubio credamus corde, & certissi-
mè persuasi simus, quod velit nobis præsto esse juxta promissio-
nes. Psalm. L. 15. *Invoca me in die tribulationis, & eripiam te & glo-
rificabis me.* Esa. LXV. 24. *Et erit antequam clament, ego exau-
diam, adhuc loquentibus ego audiam* Psalm. CXLV. Johann.
XIV. 15.

XXXV. Constat id ipsum, & contra dubitationem Pontifi-
ciorum firmiter tenemus ex obsignatione Spiritus Sancti. II. Cor. I.
22. *Qui obsignavit nos, & dedit arrhabonem Spiritus in cordibus no-
stris.* Rom. VIII. 15. *Non accepistis Spiritum servitutis rursus ad me-
tum, sed accepistis Spiritum adoptionis per quem clamamus Abba Pa-
ter.* Idem Spiritus testimonium reddit nostro Spiritui, quod simus filii
Dei. Ephes. I, 13. 14. *Obsignati estis Spiritu promissionis sancto,
qui est arrhabo hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis.* Hic
Paulus similitudine à Sponso & Sponsa sumptâ demonstrat, quod
veluti Sponsa à Sponso arram vel arrhabonem amoris accipiat,
sic & Christus, qui fideles sibi desponsavit, Ose. II. 19. dedit Sponse, o:
omnibus credentibus Spiritum Sanctum, arram, qui testatur nos es-
se filios Dei, si jam filii Dei, jus illud nobis jure filialitatis datum
est, ut hæredes evadamus, jam hæreditas non est incerti alicujus,
sed certi, sumus igitur persuasi, & certò credimus nos esse filios
Dei & hæredes ipsius. Insuper per hanc obsignationem, nihil a-
liud intellectum vult Paulus, quam ut singuli credentes indubi-
tatò statuunt, & credant certas esse Dei promissiones, docetque
quod contra dubitationes, quibus natura humana nimis dedita
est,

est, Deus adhibeat, & exhibeat ob signationem certissimam, & omnium pretiosissimam *ipsum Spiritum Sanctum*.

XXXVI. Jam quid dicemus de *clavibus solvendi Ecclesie datis*? Haec profectò assertionem Pontificiorum de dubitatione de remissis peccatis tollunt, & planè destruunt. Enim verò Christus cum ministerium prædicationis solemniter institueret, & Discipulos, ipsos afflando Spiritu Sancto inunxisset, singulari eos auctoritate munivit, *quorumcunque* (inquit) *remiseritis peccata remissa erunt*, quæ repetit Matth. XVIII. 18. & juramento confirmat, *Amen dico vobis, quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata in cælo, & quaecunque solveritis super terram, erunt soluta in cælo*. Hæc cum ita sese habeant, nonne homo de remissis peccatis certus esse potest, & debet?

XXXVII. Quid dicemus de *Sacramentis*? Annon eum in finem à Deo & Christo instituta sunt Sacramenta, ut sibi quivis verè fidelis Sacramentis utens promissiones & beneficia Dei applicare & ob signare queat? Ideò certè *circumcisio vocatur sigillum fidei* Rom. IV. 11. *Baptismus est stipulatio bonæ conscientie* 1. Pet. III. 21. *In sacrâ Cænâ ad sanctissimum illud epulum digne accedentes comedimus corpus Christi, bibimus sanguinem Christi, certò persuasi, quod pro nobis, (pro me) qui carnem ejus manducamus, corpus suum in arâ crucis obtulerit, & pro nobis, qui sanguinem ejus haurimus, sanguinem suum in cruce effuderit in remissionem peccatorum*, Matth. XXVI. 28. Num ibi unusquisque, qui edit carnem Christi, & bibit ejus sanguinem, dubitare debeat, sibi peccata remitti, se de beneficiis morte Christi acquisitis participare, se Christo inseri, in Christo manere, & Christum vicissim in eo mansionem facere? Absit! Sunt enim Sacramenta σ Φ ρ γ ν δ ϵ , ob signationes, testimonia, & pignora divinam gratiam confirmantia, & in Sacramentis Deus omnibus gratiam suam offert, oblatam credentibus applicat & ob signat, idq; ob nostram fidei imbecillitatem; ne de gratiâ divinâ dubitandi locus supersit.

XXXVIII. Et quid? Sententiam de certitudine fidei abundè monstrant *Sanctorum exempla*, quæ utramque faciunt paginam.

C

Ut

Ut nihil de Abele, Enocho, Noacho aliisque multis Hebr. XI. dicam, luculentum nobis exemplum Abrahamus præbet, cujus Paulus meminit Rom. IV. 18. 19. *Qui contra spem (rationis) sub spe (fidei) credidit, & non infirmatus est fide:* nulla hic ne exigua quidem dubitatio, sed firmissima fiducia innuitur. Huic David merito accenseri debet qui quam firmiter promissis divinis adhæserit, & omnem spem & fiduciam in ipsum collocaverit, psalterio Prophetico edocet. In hunc numerum Paulus etiam referri debet, qui dicit Gal. II, 20. *Christus dilexit ME, & tradidit seipsum pro ME.* 1. Tim. I. 15. 16. 2. Tim. IV. 8. *Reposita est MIHI corona justitiæ.* 1. Joh. V. 13. 14. Huc pertinent in Novo Testamento, quorum fides ipsos fervasse dicitur, sic Luc. VII. 50. mentio fit mulieris, quæ Christum oleo unxit, quam Christus remisit peccatis, sic alloquitur, *fides tua te salvam fecit.* Matth. IX. Paralytico dicit CHRISTUS, *Confide filii remittuntur tibi peccata tua.* Hemorrhousa itidem. *Confide filia, fides tua te salvam fecit.* & c.

XXXIX. Quare dubitationem Papisticam, & fidei vacillationem merito missam facimus, utpote quæ & in sacris literis gravissimè reprehenditur, & spei Christianæ, è diametro advertatur: scopus enim scripturæ huc tendit, ut per patientiam, & scripturarum consolationem, Spem habeamus teste Apostolo Rom. XV. 4. Hinc spes assimilatur anchora Hebr. VI. 19. Nam veluti anchora navim firmatam à submersione tutam reddit, ut tandem cessante tempestate nautæ salvi in portum perveniant: sic Spes in cælum tendens, & in Christo firmiter fixa firmat corda credentium, & ab æterno exitio eos tutos reddit, ut commodè ad hunc locum annotat Rever. Dn. D. Gerbardus p. m. Si igitur Spes, propter infalibilem certitudinem promissionum divinarum, quibus innititur, assimilatur anchoræ, quæ firma ac tuta est, nullo modo de gratiâ Dei, de remissione peccatorum & æternâ salute dubitandum.

XL. Dispiciant modò & caveant probè Pontificii, ne eum omnes dulces & suaves consolationes suis *ἠγάδοις* labefactent, & antidotum contra venena & morsus Diabolicos consciant.

scientiis eripiant, vitam tandem cum summâ desperatione finientes sentiant, & intelligant quam perniciosus sit isthic error de dubitatione fidei, in quo callum obduxisse videntur.

XL I. Nolo hoc tempore intimare, quomodo opinio ista, quod fides justificans non debet esse certa, sed cum timore consistere, & homo semper de remissione peccatorum dubitare cogitur, adeo absurda sit, ut nihil supra. Nonne enim hæc absurditas maxima? Pontificii specialem applicationem meriti & satisfactionis negando simul negant, imò planè tollunt discrimen inter *fidem salvificam & historicam, & fidem justificatorum & Demonum* confundunt, ex quâ hypothese sequatur necesse est Diabolos eandem cum hominibus fidem habere, imò cum tremunt & *ἠγίστα*, quod fidei Pontificiæ requisitum est, aliquando etiam salvatum iri. Quod ipsis expendendum rectius, cordatis verò dijudicandum relinquimus.

XL II. Sed ut dixi, hæc in præsens præoccupasse sufficiat. Illud verò quod primo loco supra proposuimus de solâ fide justificante, tantò evidentius demonstrare nunc licet, quò major è dictis ei lux affulget, & plura suppetunt scripturæ loca, quæ huic sententiæ fidem indubitatam conciliant. Graviter & seriò hoc argumentum tractans Paulus dicit Rom. cap. III. 24. *Arbitramur fide justificari hominem, sine operibus legis, de lege morali loquitur, non tantùm de Ceremoniali, & cum mentionem faciat operum, non ipsi sermo est de operibus non renatorum, ut somniant & delirant Pontificii, quo speciem suo errori inducant, quasi hæc esset mens Apostoli, quod homo irrogenitus non justificetur ex operibus legis: interim regenitus lavacro aquæ Tit. III, 5. & renatus ex aquâ & Spiritu Johann. III, 5. ex operibus justificetur.*

XL III. Ob serves ergo quod Paulus dicto loco non loquatur duntaxat de *operibus non renatorum*, sed simul etiam de *regeneratorum*, quod exinde manifestum est, quod adducat exemplum *Abrahami credentium Antesignani*, qui de Chaldaâ vocatus Genes. XII. usque ad XV. caput, magno numero bonorum operum ex fide profectorum Hebr. XI. fuit stipatus, de ipso tamen

veluti de omnibus, non veretur Paulus dicere : *Non operanti sed credenti in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.* De seipso etiam Paulus non destitutus bonis operibus ait 1. Cor. IV. 4. *Nihil mihi conscius sum, pergit tamen, in hoc non sum justificatus.*

XLIV. Illud idem confirmat Rom. IV. 5. *Ei qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.* *Ei qui non operatur &c.* cum dicat Paulus, non docet, quod qui justificantur, otiosi sint vel bonis operibus nullam dent operam, sed *per non operantem* intelligit Paulus ipsum, qui suis operibus coram iudicio divino non confidit, nec in iis justitiæ præsidium ponit.

XLV. Clamant hanc sententiam vel innumera scripturæ testimonia. Phil. III. 6. 7. 8. &c. Esa. LXIV. *Omnes justitiæ nostræ, ut panniculus abjectissimus.* Galat. III, 26. *Nos in Christum Jesum credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis, propterea quod non justificabitur ex operibus legis omnis caro,* hoc est nullus omnium hominum, caro enim hoc in loco Synecdoche scripturæ usitata totum hominem denotat. Gal. III. 9. 10. *Qui ex fide sunt, benedicuntur cum fidei Abrahamo.* Nam quotquot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxii, scriptum est enim execrabilis omnis qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis ut faciat ea. Ephes. II, 8. *Gratiâ Dei salvati estis per fidem, idq; non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, quæ sunt justitiæ, quæ faciebamus nos, sed secundam misericordiam suam salvos nos fecit.*

XLVI. Quæ utique & multa alia Spiritus Sancti effata abundè & dilucidè sententiam allatam defendunt ac declarant, quod homo justificetur *sine operibus, fide solum, solâ fide,* adeo ut nullum opus nostrum, (ne quidem ipsa fides quæ opus) quamvis præstantissimum, actum justificationis ingrediatur, & ad justificationem nostram vel minimum faciat. Ephes. II, 8. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est.* Et sanè, quo modo, ut verbis beati Hunnii utar, opera reatorum forum justificationis ingredi possunt, cum tamen in justificatione Deus hominem à peccatis non absolvat, nisi æquivalenti pretio, suæ ut satisfaciat justitiæ?

Quo-

Quomodo quæso possunt reatorum opera imperfecta æternæ Dei justitiæ, ullâ, ne dicam totâ, quod omninò necesse est, proportionè respondere ?

XLVII. Quocirca evidenter satis inde dispalescit, quod sola fides justificet, quodq; omnia opera excludantur, contra assertionem Papistarum, qui adstruunt non quævis opera eliminari, sed ea saltem, quæ viribus liberi arbitrii eduntur in statu etiamnum corruptionis, sed hanc Apostolo mentem falsò affingi supra demonstratum est. Quævis ergo opera *etiam ἐν δικαιοσύνη facta ab actu justificationis excluduntur* Tit. III, 5.

XLIX. Cæterum, causæ, cur justificatio detrahatur operibus, suppeditantur ab ipso Paulo Rôm. III 10. Prima igitur hæc est, & ducitur ab impossibili, quod justificatio ex operibus legem factorum seu operum respiciat, hæc autem hominem propter particulare & speciale quoddam mandatum, coram Deo justum nequaquam pronunciat, sed requirit & exigit, omnium mandatorum perfectissimam, & absolutissimam impletionem & obedientiam, ita ut si homo universam legem observans, unicum saltem & vel minimum legis præceptum violaverit, totam legem transgressus dicatur, & omnium reus pronuncietur. Etenim impossibile est homini post lapsum omnia præcepta servare, & per legis impletionem justificari & ad vitam ingredi. Matth. XIX. Lex namq; omnibus maledictionem & anathema denunciat, ita ut qui per opera sua, ex lege sperat salutem & vitam, condemnationem duntaxat & mortem æternam reportet. *Ubi enim lex peccatum potest ostendere, ibi non justificat, sed reum facit, maledicit & condemnat juxta dictum. Maledictus omnis, qui non permanferit in omnibus quæ scripta sunt in lege.* Plura vide apud Chemnitium in Exam. Conc. Trid. tom. i. p. m. 247. seq.

XLIX. Enormiter proindè errant Pontificii, dum huic sententiæ sese opponunt, & contendunt magnoperè, quod lex servata & ab hominibus impletu possibilis sit. Vid. Enehir. Cost. c. VI. p. 235. nec non ad peccatum extenuandum docent, non omne peccatum esse Dei læsionem, vel Deum offendere, cum tamen contrarium monstret Divus Johannes I. Epist. III. 4. quod

nempè omnis *ἀμαρτία* sit *ἀνομία*, quod verò contra legem committitur, omninò Deum aut hominem legis lædit & offendit, quatenus lex ab ipso lata violetur.

L. Ratio secunda ducitur à diversâ legis & fidei justitiâ: est enim hæc *Justitia legis*. *Qui fecerit ea, quæ scripta sunt in lege vivet. Fidei verò justitia* est credendo sibi applicare & appropriare, quod CHRISTUS nostri vice præstitit, vel igitur lege solâ, (quod fieri nequit) vel fide solâ in CHRISTUM justificamur, tertium namq; non datur, qui enim fide in CHRISTUM justificantur, operibus legis non justificantur: contra, qui per opera legis justitiâ legalem assequi volunt, fide justificari nequeunt, hæc enim sibi invicem sunt opposita, justitia legis & justitia fidei.

LI. Tertia causa hæc affertur, ut ne habeamus, in quo coram Deo gloriemur, sed omnis qui gloriatur, in Domino gloriatur, qui fecit nobis Christum justitiâ 1. Cor. I. 30. *Gloria igitur, ut optimè monet celeberrimus Chemnitius, justificationis nostræ coram Deo ad vitam æternam debetur obedientiæ & merito Christi, non tanquam causæ, quæ efficiat, ut in nobis aliquid hæreat, quo facientes ea quæ in lege factorum scripta sunt justificemur, sed quia obedientia Christi imputatur nobis ad justitiâ.*

LII. Quinimò ipsi adversarii vi veritatis coacti, in eandem fermè sententiâ, non rarò præter opinionem descendere videntur, sic enim Costerus Enchirid. c. VI. p. 249. 250. *Nulla omninò creature opera, nullæ pœnitentiæ, nullæ martyria, nullæ pœnæ, nullæ virtus potest mereri cuiquam remissionem peccatorum suorum: peccatum enim, quod ex infinitâ majestate offensi Dei infinitam malitiam contraxit, non nisi per infinitum meritum in solis Christi operibus & per passionibus, ob infinitam, divinæ personæ dignitatem cernitur, non autem in ullâ actione aut merito creature.* Hic sanè, si verba spectes orthodoxus est Jesuita, & —

— — — cedro digna locutus.

LIII. Quartò, contra Pontificios justificationem ex operibus urgentes, argumentum ex propriis ipsorum principiis necesse potest firmissimum. Cum enim Deus ab æterno, (quæ sententia orthodoxorum est) ex merâ misericordiâ homines in Christo
ad vi-

ad vitam æternam ordinare atque eligere statuerit, quam etiam sententiam ut plurimum ne in castra Pelagianorum descendant, nobiscum tuentur, nec non fateri coguntur decretum Dei ab executione non differre. Colligunt ergo Lutherani hunc in modum: Ob quas causas homines in tempore justificantur, ob easdem Deus illos ab æterno justificare statuit. Sed Deus ab æterno eos propter bona opera justificare & salvare non decrevit, aut ad vitam elegit. Ergo propter bona opera non justificantur. Quid hic respondere velint Pontificii, ipsi videant. Si enim electio non ex operibus, sed gratuita est, omnino etiam gratuito & ex merâ gratiâ justificamur ob vim decreti & executionis. Sed verum est prius. Ergo & posterius. Aut igitur Pontificii Pelagianismi accusabuntur manifesti, aut nobis quod volumus, largiantur oportet.

LIV. Alterum membrum, quod spectat, cur nempe particulæ exclusivæ in justificationis opere tantopere urgeantur? Hæc obscure illud preponit, & frequenter inculcat scriptura, quin & assertio ista infallibili scripturæ authoritate nititur. Quamvis enim hæc propositio, *sola fide justificamur*, non iisdem literis & syllabis in sacrâ scripturâ inveniatur, huic tamen æquipollentes multæ reperiuntur. Fidei servandæ causa testem adducimus Paulum Rom. III. 24. ubi dicit nos justificari *gratis δωρεάν*. Gal. II. 21. *non nisi fide, sine operibus*, Eph. II. 8. *χωρὴν ὀνκῆς ἔργων*. Rom. III. 28. *fide, sine operibus legis*. Philipp. III. 9. Cum igitur disertè dicat Apostolus, nos justificari *gratis*, absq; operibus, gratia, non ex operibus, non nisi fide, fide, sine operibus, palàm inde constat, nos sola fide justificari.

LV. Deinde ipsa rei necessitas id efflagitat: Quod si enim sine operibus, fide tantum; ut suprâ dictis scripturæ invictissimis demonstratum est, justificemur, hæc particulæ adhibendæ erunt, ut omnia opera nostra, qualitates, virtutes, dignitates, & quæ plura sunt, excludantur, ut certo certius evadat, nos nulla alia re, nisi unicâ & solâ fide in Christum justificari, certò credentes illum *omnia mundi peccata sustulisse* Joh. I. 29. *pro nobis legi satisfecisse*, Rom. VIII. 3. *iram divinam placasse* Rom. III. 25. 2. Cor. V. 19. & nos

& nos cum peccatis mortui essemus Ephes. II, 1. à morte ad vitam,
à desperatione ad spem, & ab exitio ad salutem revocasse.

LVI. Sequitur jam tertium membrum, quod princeps & fa-
cilè palmarium est, nimirum quo sensu fides sola justificare dica-
tur. Notum est, quod fides dividatur in vivam, quæ est cordis
firma in Christum fiducia, cum charitate & studio bonorum ope-
rum conjuncta, & in mortuam, quæ est veræ & Christianæ reli-
gionis falsa jactantia, imò historica quædam fides, quam etiam
ipsi Diaboli habent Jacob. II. Quæ cum mortua sit, nec veræ fi-
dei nomen mereri debet: ideò hîc præoccupandum est, fidem
duntaxat vivam justificare. Id quod tamen non ita intelligen-
dum est, ac si etiam charitate, quæ individuo nexu fidem vivam
comitatur, justificemur. Quanquam enim vera & viva fides
semper sibi adjunctam habet dilectionem Dei & proximi, & alia
bona opera, hæ tamen virtutes ne ulla ex parte in societatem ju-
stificationis veniunt, sed fides sola meritum Christi apprehen-
dens nos justificat; cui assertioni ut fides concilietur, in me-
dium proferimus dictum D. Pauli Rom. IV. 5. 6. *Ei qui non opera-
tur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides ad justi-
tiam.* Sed obvertunt adversarii, & dicunt, nullam fidem esse si-
ne notitia, assensu & fiducia: Has verò virtutes esse qualitates
nobis inhærentes, cum ergo fides sine his consistere nequeat, se-
quatur necesse esse, nos, qui fide justificamur, etiam operibus, his
nimirum virtutibus, justificari, ac hoc modo etiam qualitates a-
ctum justificationis constituere. Verùm responderetur negando
consequentiam, nam primò non statim sequitur, quod, quæ simul
sunt vel fiunt, eandem omnia proprietatem, & idem habeant of-
ficium: homo enim simul habet pedes, oculos, aures, absurdum
tamen foret, si quis dicere vellet, quod pedibus videat, oculis au-
diat, auribus ambulet. Et ut res exemplis manifestior evadat,
Pater & Filius, in Deitate non conjuncti, sed quod omnem hu-
manum captum excedit, essentialiter unum sunt, nec tamen se-
quitur, quod quia filius humanam naturam assumpsit, etiam eam
Pater assumpserit. Quam diu in vivis est homo, animam & cor-
pus simul habet, non tamen sequitur, quod, quoniam anima &
cor-

corpus conjuncta sunt, ergo anima ratiocinante corpus etiam ratiocinetur. Aqua elementum humidum est & grave, & humiditas & gravitas à se invicem disjungi nequeunt, non tamen quia humiditati quæ humectat, conjuncta est gravitas, etiam gravitas humectare dicitur. *Im fides nunquam est sola, hoc est non existit sola sine aliis virtutibus, attamen suum essentialia officium, quod est justificare, sine iis expedit ideoque ne causa cum effectu confundatur distinguenda est fides à virtutibus tum ratione essentialium, tum ratione proprietatum essentialium, tum ratione officii, & actionis peculiaris videlicet justificationis, quoniam essentia fidei, non est essentia charitatis, licet simul existant, ut egregie monet Rever. Dn. D. Balthasar Meilnerus in Anthropol. sac. disp. XXVIII. th. 57. De hac etiã quæstione quã optimè disput. Megalander Lutherus in c. 15. Genes. verba, cū notatu dignissima sint, adscribã. Scio has (Charitatẽ, Spem, Patientiã,) esse insignia Dei dona divinitus mandata, & per Spiritũ Sanctũ in nostris cordibus excitari & ali. Scio fidem sine his donis non existere. sed nunc nobis quæstio est, quid cujusque proprium sit. Tenes (inquit) manus varia semina, non autem quero ego, quæ cum quibus conjuncta sunt, sed quæ cujusque propria virtus. Hic apertè dic, quid faciat sola fides, non cum quibus virtutibus conjuncta sit. Sola autem fides apprehendit promissionem, credit promittenti Deo, Deo porrigente aliquid admovet manum & id accipit. Hoc proprium solius fidei opus est, Charitas, Spes, Patientia habent alias materias, circa quas versantur, habent alios limites, intra quos consistunt. Non enim amplectuntur promissionem, sed mandata exequuntur. Videatur B. Lutherus cap. XV. Genes. tom. 6. Witteberg. f. 189.*

LVII. Secundò fides non justificat, ut est opus à nobis prodiens, nec ut est qualitas nobis inhaerens, sed universa fidei efficacia in solidum pendet à Christo fidei proprio objecto. Licet enim nemo justificetur, nisi qui in Christum credit, illa tamen justitia, quã coram Deo intrepidi consistere possumus, non pendet à fide tanquam quodam opere à nobis profecto, sed saltem unice à satisfactione & justitiã Christi. Quum igitur dicit scriptura fidem imputari ad justitiam, non accipiendum est absolutè, ut virtus sit quædam & bonum opus à nobis prodiens, sed relatè pro in-

D

stru-

strumento & quasi manu quâdam, quâ meritum Christi, quod pro omnibus & singulis satisfecerit, & justitiam promeruerit, apprehendimus, recipimus, & absq; hæsitatione & dubitatione ullâ nobis applicamus.

LIIIX. Justificamur igitur merito Christi, fides autem est instrumentum, quo justitiam Christi nostram facimus, quo meritum Christi accipimus. Quocirca fides justificat, quatenus habet respectum ad meritum Christi, & ipsius satisfactionem. Hoc ipsum perspicuè docet Paulus Ephes. II 5. *τῆς χάριτος ἐστὶν ἡ σωτηρία ἡμῶν ἀπὸ τῆς πίστεως*, fidei quidem meminit, hanc tamen prorsus excludit, à nostris operibus, inquiens, *καὶ τοῦτο οὐκ ἐστὶν ἔργον θεοῦ τὸ δωρεῶν*. Quid manifestius dici poterit? *non ex vobis, Dei donum est.* Hinc Basilius homil. de humi: *Hæc est perfecta & integra gloriatio in Deo, quando nec ob justitiam suam quis se jactat, sed novit quidem seipsum verâ justitia indignum, solâ autem fide in Christum justificari.*

LIX. Proximum jam est ut de causâ formali nostræ justificationis, & quomodo homo coram Deo ad æternam vitam justificetur, agamus. Hæc quæstio inter Lutheranos & Pontificios maximas lites movet. Nam Pontificii de causa justificationis nostræ formali disputaturi, varias dispositiones in homine præsupponunt, quæ meritum congrui efficiunt, ita ut Deus homini facienti quantum in se est, (per quod tanquam causas meritorias ad susceptionem gratiæ sufficienter præparatur) suam largiatur gratiam, & quidem propter meritum congrui & condigni, quia homo hoc meritus est de Deo, ut hanc infundat gratiam, qua tandem etiam justificatur, ita ut nequaquam sine merito proprio justificemur. Ex ipsorum igitur opinione, qui vult justificari, vel remissionem peccatorum consequi, is inter iram Dei, & sua peccata interponere debet, non meritum Christi duntaxat sed inhærentem, & infusam gratiam, charitatem, (de quâ in scripturâ altum silentium) quâ formaliter justus est. Quam autem perniciosus hic error sit postea patebit.

LX. Vera autem & genuina scripturæ sententia quanam sit, jam videndum. Equidem satis constat homines, impium sæpè
vel

vel *per errorē*, quando impietas ignoratur, vel *per incuriā*, quando non curatur, vel *per iniquitatem* quando approbatur, justificare, qualia iudicia in conspectu Dei sunt abominationes. Proverb. XVII. Esa. V. 23. Hinc quaestio oritur, quomodo Deus, qui, quamvis sit agens liberrimum, & efficiat omnia secundū consilium voluntatis suae, Eph. I. semper justē agit, hominē impiū absq; justitiā propriā justificet, peccata remittat, & vitā aeternā heredē constituat?

LXI. Certē DEUS *non per errorem*, quod ipsi Numini divino asingere blasphemum esset; neque per incuriam, omnia enim ordine & sapienter agit, *neque per approbationem impietatis & peccati consensum* hominem absolvit & justificat. *Est enim Deus non volens iniquitatem, neque habitabit juxta ipsum malignus, odit omnes qui operantur iniquitatem.* Psalm. V. & veluti ignis naturā materia & pabulum si adsit non potest non urere, sic & DEUS, qui ignis est consumens Deut. IV. 24. ob naturalem suam justitiam, non potest non peccatum indignari & detestari.

LXII. Quid igitur hic pronuntiandum? Num DEUS Ter Optimus, Ter Maximus, qui justificat impium gratis, per gratiam, aliter agit, quam se in verbo revelavit? Absit! *Ego enim* (inquit Jehovah) *Deus sum & non mutor.* Mal. III. 6. & Matth. V. 18. discretē, inquit Christus, *Ne putetis quod venerim solvere legem. Amē quippe dico vobis, donec transeat caelum & terra, jota unum aut apex unus non praeeribit à lege, donec omnia fiant,* & veluti DEUS firmus est in promissis servandis, ita similiter, quicquid minatur, exequitur. Quam legem igitur promulgavit, vult omninō implendam, & ejus non qualemcunque sed perfectissimam & omnibus numeris absolutissimam requirit observationem. At verō nemo nostrum in hac mortalitate huic divinae justitiae satisfacere potest, nos enim sumus carnales & imperfecti, *venundati sub peccato, lex autem est spiritualis & perfecta.* Rom. VII. 14. *velle quidem nobis adjacet, sed perficere non invenimus, nam lacta intercedit spiritui cum carne, & carnicum Spiritu* Gal. V. 16. Quid igitur dicemus? num de misericordiā divinā, quum tanta sit vis justitiae diffidamus? num omnes in aeternum damnemur? Profectō si ratio nostra sit consulenda, nullum huic malo remedium afferetur, nec quod inter iram Dei, & peccata nostra interponamus, habemus. Nam nemo mortali-

lium quicquam habet, de quo in conspectu Dei gloriari possit. *Defituimur omnes gloria Dei. Rom. III. 23. Nobis debetur ignominia ac faciei confusio Dan. IX.* Si namque sanctissimi Angeli, Spiritus puri & mundi faciem suam alis, præ sanctitate & majestate Domini abscondant, Esa. VI. Quinimò cœli in conspectu ipsius Dei immundi sunt, quanto magis impurus, immundus, pollutus & inquinatus censendus homo, qui cum lacte materno iniquitatem suxit, & quotidie veluti aquam imbibit. Job. XV. 16. 17. Nulla, cum non habemus præstò sunt bona opera, & si vel maxime haberemus, nihili prodesse. Cæterum Deus, qui est dives misericordia, propter multam suam charitatem quâ dilexit nos, consilium excogitavit, quâ ratione huic nostro infortunio subveniret. *Sic igitur dilexit mundum, ut filium suum unigenitum in mortem tradiderit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Joh. III. 16. Et in hoc apparuit charitas Dei in vobis, quod filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. 1. Johan. IV. 9.* Ille unigenitus Dei filius legem nobis præstito impossibilem, eò quod infirmabatur per peccatum Rom. VIII. 3. servavit, & sese legi subiecit Galat. IV. maledictum pro nobis factus est, & naturam nostram induit, ut in illâ naturâ, quæ sub lege erat, fieret satisfactio & impletio. *Per hujus redemptionem gratis gratia justificamur, quem Deus proposuit propitiatorium in sanguine ipsius per fidem Rom. III. 24. 25.*

LXIII. Ex his præmissis intelligi satis potest, quæ sit nostræ justificationis *causa formalis*. Nam, cum Christus, quod nobis erat impossibile, loco nostri præstiterit, legemq, cujus impletio & observatio nostris humeris imposita erat, perfecte servavit, justitiam quam lex promittit, per legis obedientiam perfectissimam assecutus est, & morti, quam lex transgressoribus denuunciat, aculeum ademit. Hæc justitia per Christum impetrata, quum fide eam apprehendamus, nobis imputatur, ac si esset nostra propria justitia, ac si nos ipsi legem divinam servassemus. Nam Christus, non quatenus in nobis habitat, & intra nos operatur, est nostra coram Dei judicio valens justitia, etenim hæc gratiosa inhabitatio est illius justitiæ quidam fructus & effectum. Id circò homo non justificatur sine justitia, sed in justificatione omninò
inter.

intervenit justitia, non nostra sed Christi, quæ tamen talis ac tanta est, ut cum eam fide apprehensam nobis applicemus, illam iudicio Dei rigido opponere, & sub ea veluti sub scuto, à divinâ, quam promeruimus, ira protegi possimus.

LXIV. Quapropter cum Deus à nobis legis impletionem flagitat, Christum inter Deum & nos interponimus, ille legem exactissimè vitæ suæ sanctitate implevit; cum Deus justitiam postulat, nos justitiam, quam Christus legem servando nobis acquisivit, fide apprehendimus, & hanc Deo offerimus. Illa justitia, per nos nequaquam, sed per Christum acquisita, fide tamen nobis imputata, Deo gratissima est, & legi divinæ & iræ, quam lex operatur, satisfacit, quod à nonnullis sic effertur. Imputationis geminus est modus, unus *συντηκός*, quo id quod adest, vel inest, non imputatur, alter *Ἰστικός*, quo id quod non inest, imputatur ac si adesset.

LXV. Propterea causa formalis est meritum Christi fide imputatum, vel meriti fide apprehensi imputatio. Aliàs Divus Apostolus in hoc justificationis negotio, gratiam Dei, meritum Christi & fidem tam certo inter se vinculo colligat, ut uno nominato reliqua intelligantur, & promiscuè doceat nos jam gratiâ Dei, jam merito Christi, jam fide justificari; hoc tamen ea ipsa non confundit sed unum, quin cætera comprehendantur, non nominari posse demonstrat. Si quis tamen, hinc sibi aliquid invenisse videatur, & objiciat. Efficiens nequit esse forma, Gratia Dei est causa efficiens. E. non forma, cum eo super terminorum Philosophicorum usu, non operosè aut morosè litigabim⁹, saltem observetur, quid hanc in rem monet beatus Meisnerus: Gratia Dei dupliciter consideratur, vel absolutè vel relatè, absolutè, & sic gratia Dei est causa efficiens atque ad omnes homines spectat: relatè quatenus fide apprehenditur, & tunc est causa formalis, atque non nisi credentes attinet. Hinc axioma illud probè tenendum. *Particula exclusivæ in doctrina justificationis non excludunt causas subordinatas, sive connexas, sed tantum oppositas & alienas. Vide Meisner. Anthropol. sacr. disp. XXVII. n. 30. 31. seq.*

LXVI. Cæterum quum non dixisse sed probasse sufficiat, ad probationes nos accingimus, & è fonte vivo & salutari

haustas proponimus I. Si non ex operibus legis omnis caro iustificatur; si iustitia Dei, quâ peccator coram Deo absolvitur à peccatis, est per fidem Jesu Christi ad omnes & super omnes credentes, si omnis gloria operum exclusa est, sequitur, quod non opera, non virtutes, non dispositiones nostræ, sed aliud sc. sola iustitia Christi per fidem nobis imputata iustificet. Sed verum est quod antecedit. E. & quod sequitur. Major satis per se manifesta est. Nam si fieri nequit, ut quis ex operibus salvari & iustificari possit, & hæc sit iustitia, quæ Deo placet & probatur, quod Christus pro nobis satisfecerit, & iustitiam nobis acquisiverit, quod meritum Christi, & iustitiam per ipsum impetratam cum nobis fide applicamus, in illud indubitatum fiduciam collocamus, iustificamur: imò si omnia opera ita excludantur, ut omnis iis detrahatur gloria, quid inde aliud concludi potest, quàm nos per fidem, iustitia Christi nobis imputata, iustificari? Minoris, quæ probatione indiget, primum membrum probat Apostolus Paulus Rom. III, 20. ubi dicit, *Propterea ex operibus legis non iustificabitur omnis caro in conspectu eius.* Ubi notanda vis vocis *διότι*, propterea quæ nos ad antecedentia ablegat, ubi monstraverat Apostolus naturalem omnium hominum corruptionem, quæ quidem tanta est, ut hanc generis humani miseriam & calamitatem satis deplorare possit nemo: Deus enim cœlitus prospecturus, numne in toto ac universo terrarum orbe unicus iustus deprehenderetur, cui curæ cordique fuit salus, ne unum quidem invenit, nam omnes à verâ viâ defecerant, & viam pacis non cognoverant, hinc concludit ac dicit, *omnes os obturabitur Deo, & obnoxius erit ei omnis mundus, propterea ex operibus legis non iustificabitur omnis caro in conspectu eius,* rationem etiam aliam addit nam inquit per legem agnitio peccati; ac si ita argumentari vellet Apostolus, ubi lex ostendit peccatum, ibi nulla est iustitia, sed lex ubique ostendit peccatum. E. Alterum membrum adfirmatur v. 22. 26. *Iustitia DEI per fidem Jesu Christi super omnes credentes.* In hoc membro probando provocat ad testimonium *cum legis;* primò quia fuit *Padagogus noster ad Christum* Galat. 3, 24. deinde quia Lex Ceremonialis per varia sacrificiorum involucra hanc
per

per Christum justificationem proposuit ac adumbravit; tum *Prophetarum* v, 21. qui omnes uno ore de gratuitâ justificatione consentiunt, & huic Christo testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. *Actor. X.* Tertium membrum de negatione meriti bonorum operum in capite tertio ad Romanos variis verbis disertè adstruitur. v. 24. apertè pronunciat nos *gratis justificari per DEI gratiam*, & v. 27. verba sunt manifestissima. *Ubi gloriatio? exclusa est.* Si quis igitur gloriari velit, de lege, de circumcissione, sciat se decipi ac falli, nam gloria ex nostra parte si quæ esset, adscriberetur vel causæ efficienti, vel meritoria, vel instrumentali, vel formali vel finali; nulli autem harum gloriæ nequidem minimam particulam tribui posse Paulus in præcedentibus verbis abundè demonstravit, dum omnium causarum meminerit, & rationes, cur bona opera à justificatione excludantur suprâ adductæ sunt, quas repetere supervacaneum foret.

LXVII. Stantibus igitur præmissis firma est conclusio. Hinc quoq; ruit doctrina Pontificiorum de indulgentiis & operibus super erogationis, quippe qui statuunt, ut suum thesaurum Ecclesiasticum (potius quod sentiunt, dicerent, domesticum) defendere queant, quod Sancti Dei in hac vita multò plura bona opera fecerint, quam quæ ipsis (verba notentur) ad promerendam & consequendam salutem necessaria fuerint, plura quoque & graviora passi sint, quam pro peccatis debuerint. Hæc sunt opera quæ Pontificiis vocantur super erogationis. Hæc opera, (ne hilum proficientia) superabundantia in cistam quandam congesta pro arbitratu suo dispensat summus, nescio cujus mali Dæmonis, vicarius, & quidem hoc fine, *ut sicut pecunia debitum amicus pro amico solvit; ita etiam viri justiiis operibus, & præsertim actionibus pœnitentiæ, aliorum debitis satisfaciant.* Sic profunt jejunia nostra, & afflictiones corporum animabus defunctorum purgatorii ignibus detentis, verba sunt erroribus referta innumerabilibus Jesu-vitæ Costeri Enchirid. c. XVI. p. 496.

LXIX. Secundò. Si justificatio hominis consistit in remissione peccatorum, in imputatione justitiæ Christi, in tectioe
iniqui-

iniquitatum, in non imputatione iniquitatum, sequitur causam formalem non esse opera vel virtutes nostras. Sed verum est quod praecedat, Ergo & quod sequitur. Quod igitur justificatio consistat, 1. in remissione peccatorum probatur Rom. III. 25. Col. I. 14. In Christo habemus redemptionem per sanguinem ipsius in remissionem peccatorum. 2. in imputatione justitiae Christi Rom. IV. 5. 3. in refectione iniquitatum. Rom. IV. 7. 8. Ps. XXXII. 1. 2. 4. in non imputatione peccatorum 2. Cor. V. 19. *DEus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata eorum.*

LXIX. Porro, si consistat in remissione peccatorum, ut modo probatum est, & ipsum idem quinta petitio precatationis Dominicae doceat, sequitur quod Pontificii falsissime justificationem credentium, operibus, vel operum satisfactionibus attribuant. Sed verum primum. Ergo & secundum. Consequentia majoris sua luce radiat, nam quomodo quaeſo DEUS verè diceretur remittere peccata, si pro peccatis satisfactionem à nobis exigeret? sic non foret remissio ex parte Dei, sed sic ex parte nostri esset satisfactio, debitum & meritum: nullo enim modo creditor, qui debiti solutionem exigit, dici potest remittere & debitum condonare.

LXX. Tertium Argumentum promittitur ex illis scripturae locis, in quibus Christus dicitur nostra justitia. Nā si justificabimur propria justitia, eadē utiq; justi erim⁹, sed nostra justitia nulla est, Christus v. per legis exactissimā impletionē factus est nostra justitia. Si igitur Christus est nostra justitia, & per hanc justificamur, utiq; etiam haec justitia est causa formalis justificationis. At Christus est nostra justitia, & per hanc justificamur, (scilicet quum fide eam apprehendamus) Ergo. Major per se patet. Minor probatur Jer. XXIII. 6. *Hoc est nomen ejus, quod vocabunt eum Jehovah justitia nostra.* 1. Cor. I. 30. *Christus factus est nobis à Deo; justitia, sanctificatio & redemptio.*

LXXI. Quarto, ut appositione exemplorum res fiat manifesta, argumentamur. Si Abel, si Enoch si Noachus, si Abrahamus, & plures, quos Spiritus Dei fidei & justificationis exemplaria proponit, justificati sunt fide justitiam Christi apprehendente, nos etiam fide justificabimur, & sic justitia fide imputata, est causa formalis

malis nostræ justificationis, sed verum est primum. Ergo & secundum.

LXXII. Quæ cum ita sint, abundè & sufficienter exinde intelligi potest, quod illa, de CHRISTI justitia, quæ nobis credentibus imputatur, sententia, non sit ut visum fuit Andrædio, *amentissima insania*, nec ut vult Stapletonus, *spectrum cerebri Lutherani*, neq; ut censuit Bellarminus, *justitia imaginaria, putativa, ficta*, veluti ens rationis, quod ratione cessante nihil est, sed quod fundamento nitatur firmissimo ipsâ sacrâ Scripturâ. Quinimo hæc doctrina antiqua est, cunctis seculis in Ecclesiâ DEI decantata, temporibus omnium Prophetarum, adeò ut quicumque fuere Prophetæ hanc doctrinam de gratuitâ justificatione docuerint ac probarint: omnium loco unum saltem adducam testimonium firmissimum & sufficientissimum à divo Petro prolatum Act. X. 43. *Huic Christo omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnem credentem in ipsum.*

LXXIII. Contrâ majori jure exprobrare possumus Papistis, & infallibiliter probare, quod ipsorum doctrina, quam in articulo justificationis proponunt, *de merito congrui, gratia infusione, merito operum*, & quæ plures sunt ejus generis absurditates, *sit signum & indicium non bene dispositi cerebri, imò doctrina Diabolica, & Evangelium nunquam in verâ catholicâ Ecclesiâ acceptum*. Nonne enim hæc cæcitas maxima, & mentis torpor summus est, velle Christi merito ejusq; justitiæ sufficientiam salvandi detrahere, eamq; justitiæ humanæ, (quæ nulla est) *suis missis, sacrificiis, jeuniis, corporis castigationibus, calibatui, virginitati, peregrinationibus, indulgentiis, sanctis demortuis, & sanctorum vestibus affingere & affricare*? Ita ut, si quis, ut reliqua sicco præteream pede, in extremo mortis agone constitutus, *cucullum, Francisci induat*, certò sibi salutem polliceri possit; si verò Christi merito confidat, cum dubitatione animam exhalet. Extremam sanè dementiam & Diaboli, qui in ipsis efficax est, veras præstigias esse quis inficiari potest? Sanctum (peccatorem) Franciscum ipsi Deo in æternum laudando simillimum judicant, & ipsi, quod solius DEI proprium,

E

vim

vim homines salvandi attribuunt, de quo ipforū horrendo errore
 thes. 11. & 12. Disputat. de Anti-Christo sic scribit. Dn. D. Heer-
 brandus. *Quinimò Christo penitus sepulto, novum sibi excitarunt*
Christum, S. Franciscum, quem alterum Christum esse finxerunt, qui
quinque vulnerum stigmatibus, sibi ab Angelo quodam in loco solitario
impressis, servare à morte sternâ viros, qui à tempore illius, usque ad
mundi finem vixerunt, possit. Hæc scilicet eximia fides Pontificia.
 sed ecce. CHRISTUS est via, & nemo venit ad Patrem, nisi per i-
 psum, in hâc viâ ambulare cum ipsis non placeat, aliam eligunt,
 quæ ducit ad infernum. Christus pro omnibus hominibus cru-
 cifixus est, & non est in alio quopiam salus, non enim aliud no-
 men est sub cælo datum, per quod oporteat nos salvari. Isti au-
 tem fiduciam suam collocant in Franciscum. Christus ascen-
 dens consedit à dextris Dei ad interpellandum pro nobis Rom.
 VIII. 34. & intravit in cœlum, ut sacrificio suo appareat vultui
 Dei pro nobis Hebr. IX. 24. Ast, Franciscus est Mediator Ponti-
 ficiorum, pro ipsis intercedit, & vulneribus stigmatibusq; suis,
 nescio, ubi, quando, cur, & à quibus impressis, coram DEO osten-
 tatis, omnia necessaria impetrat. Christus est nostra justitia, isti
 in justitiâ Franciscanâ acquiescunt. Si quid in ipsis est iudicii,
 judicent, anne hujusmodi monstrosæ, horrendæ, & paradoxæ &
 Diabolicæ opiniones sint *amentissima in sania signa?* anne hæc do-
 ctrina sit *spectrum cerebri Pontificiorum,* ? anne hæc justitia sit
imagiaria, putativa, ficta? Tandem cum nostram in verbo divi-
 no de imputatione justitiæ fundatam doctrinam tam furiosè in-
 sectentur, videant illi quâ fronte aliam ex humanis meritis emen-
 dicatam justitiam imputativam venditare, Deumq; placari me-
 ritis sanctorum, asserere, & quod illi ultra debitum, bonum ope-
 ratum sunt, aliis peccatoribus imputare non vereantur.

LXXIV. Cæterum ne planè victi in certamine hoc de justifi-
 catione discedant, & ut quovis modo errorem suum de qualitati-
 bus in suis palliare possint, quod non saltem fide, sed omninò si-
 mul charitate & virtutibus cæteris justificemur, magno conatu id
 agunt, ut stropham inveniant, quâ causam suam peragant. Sic a-
 argutantur. *Verbum putare significat scindere, sicut igitur compositum*
ampu-

*imputare, significat putando, scindendo aliquid auferre, ita imputare
justitiam, valet idem ac inferere, implantare, & infundere novas quali-
tates, quod saltem recitasse, refutasse simul sufficit.*

LXXV. Verumenimverò vanissima illa est collectio, nullo
quæ nititur fundamento: verbum *imputare* cum à DEI Spiritu in
sacris literis usurpetur, *relativum* est, & respectum habet, primò
ad eum qui imputat, deinde ad illum cui imputatur, præterea
quid imputatur, denique ad quid imputatur. Primò igitur qui im-
putat Deus est, cui imputatur, Homo, quod imputatur fides, ad
quod imputatur; nempe ad justitiam. Duas etiam recenset Spir-
S imputationis species, unam quæ fit ex merito & debito, alteram
ex gratiâ, nulla a. mentio fit tertiæ per infusionem vel implanta-
tionem. Quæ omnia ut certissima, ita probè observandus est con-
troversie cardo, quæ est, num charitas inhærens renatis tali modo
imputetur ipsis ad justitiam, ut causa sit, propter quam vitâ æter-
nâ veluti præmio quodam donentur? Hujus quæstionis solutio
uti ex superioribus patet, ita contra Papistas strenuè negamus,
quod ulli humanæ justitiæ meritum possit affingi: Primò enim o-
mnis est imperfecta; ac verò si est imperfecta, nihil meretur, si ni-
hil meretur, imputatio non fit secundum debitum, sed secundum
gratiam. Fundamentum idcirco hujus imputationis non est in eò,
cui fit imputatio, nec ejo respicitur dignitas. Nam *non operanti fi-
des imputatur ad justitiam*, uti & ad majorem evidentiam adduci-
tur ab Apostolo exemplum *Abrahami*, cui imputatio secundum
gratiam, quamvis magno comitatu bonorum operum circum se-
ptio fuerit, facta est. Si igitur imputatio fit secundum gratiam, non
fit secundum charitatem inhærentem. Sed verum est antecedens
ex modò allatis. Ergo & consequens. Missum facio exemplum
publicani, cujus ipse Christus meminit Luc. XVIII. Christus enim
ut ostenderet hominem non suis operibus, non suâ justitiâ, sed fi-
de justitiam per ipsum acquisitam apprehendente justificari, pa-
rabolam hoc proposito instituit, ut manifestè ipse contextuse-
vincit. Nam Christus teste D. Lucâ dixit ad nonnullos, qui sibi
ipsis confidebant, *quod essent justii, & alios præ se alto supercilio con-
temnerent.* Hi *Pharisæi* præditi fuerunt justitiâ quâdam imagina-
ria

ria, & cum ad justitiam pervenire vellent, non justitiam sed ejus
umbram assecuti sunt, de hoc namque Phariseo talem Christus
tulit sententiam, quod justitiâ genuinâ privatus fuerit. Caterû de
Publicano, quē nullis bonis operibus stipatū contempserat, dicit
Christus, quod justus in domū suam descenderit; nam ex toto
corde in DEUM credidit, Christi merito universam suam justifica-
tionem & salutē adscripsit & verâ humilitate corpus percutiens
dixit. Ο Θεός ἰλασθῆτι μοι τῶ ἀμαρτωλῶ. Profectò hic nul-
lam qualitatam infusionem urgere possunt Pontificii, nisi ipsi
Christo non solùm contradicere, sed & mendacii accusare volue-
rint.

LXXVI. Denique *causa finalis justificationis*, ut coronidis lo-
co brevissimis subjiciatur, in aprico est, quod ea diversimodè sta-
tuatur sub respectu DEI scilicet & *hominum*. *Respectu DEI* finis
justificationis est *gloria DEI*, quam in admirando opere justifica-
tionis singulariter manifestat, teste Paulo Rom. III. 24. 25. 1. Cor.
I. v. ult. *Ut qui gloriatur in Domino gloriatur*. Ephes. I. 6. *Ad laudem
gloriae gratiae suae, quâ gratificavit nos* 1. Pet. II. 9. *Ut predicetis vir-
tutes ejus, qui vocavit nos de tenebris ad admirandam suam lucem.*

LXXVII. Deinde *respectu hominum* finis duplex est, sub *consi-
deratione vitae praesentis & futurae*. In hâc vitâ finis justificationis est
tranquillitas conscientiae; cum n. certò nobis polliceri possumus
nos justificatos, cum certò credamus nobis peccata remissa, quū
denique morti vires ademptas, inferni portas clausas, Diabolum
in fugam coniectum, conscientiam placatam, Deum pacatum
norimus, animo tranquillo frui possumus, & bonæ mentis con-
scientiâ nos consolari & sustentare. Hinc Paulus caput quintum
ad Romanos sic orditur, *Justificati fide pacem habemus apud DEÛ.*
In alterâ vitâ finis justificationis, est *immarcescibilis vitæ corona*. 1.
Pet. I. 9. *Reportantes finem fidei vestrae salutem animarum*. Salus il-
la animarum, nihil aliud est, quam vita æterna, quæ hoc sorti-
tur nomen, non ratione inimi, sed ratione finis, nam finem
non est habitura, sed semper & in æternum
durabit.

SOLI DEO GLORIA.

05 A 290

ULB Halle

3


004 207 149



VD17







DISPUTATIO THEOLOGICA

QUAM

D. O. M. A.

DE

JUSTIFICA-
TIONE HOMINIS,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

PLURIMUM REVERENDI AMPLISSIMI ET
EXCELLENTISSIMI

DN. JOHANNIS SCHARFII,
SACROSANCTÆ THEOLOGIÆ DOCTO-
RIS ET PROFESSORIS PRIMARI, COLLEGII THEOLOGICI
SENIORIS, ET TEMPLI CATHEDRALIS PRÆPOSITI
MERITISSIMI, PRÆCEPTORIS AC HOSPITIS
MAXIME VENERANDI

Publicæ disquisitioni subicit

JOHANNES DIETERICIUS
HAFNIA DANUS, AUTHOR ET RE-
SPONDENS

IN AUDITORIO MAJORI, HORIS MATUTINIS
Die Januarii Anno M DC LIII.

WITTEBERGÆ

TYPIS MICHAELIS WENDT. ANNO M. DC. LIII.